Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2659
Quelle:
Copyright:

xit &c. Tacetur Autor, quem praecedentem habeo.

XII. *fol.* 265. p. 2. Sermo, cui recens manus ſuperſcripſit *de Paſſione Domini.* Initium eſt: *Scitis quia poſt biduum paſca fiet M' XXVI. Hoc ſero kariſſimi memoriam agimus maxime dilectionis* &c. Eſt vero Expoſitio *totius* Paſſionis Chriſti, unde inducor, ut credam eſſe praedicti *Nicolai de Dünkelſpühl* deſignarique apud *Ant. Reiſerum* in *Ind. Mſſ. Bibl. Auguſt.* p. 110. nomine *Concordantiae in Paſſionem Dominicam* primis Typographiae annis *ſ. l.* et *a.* in *fol.* impreſſae, quae mihi tamen ad manum non eſt.

XIII. *fol.* 286. p. 2. *Ex queſtionibus M. Nicolai* (praedicti) *ſuper 4°. Sententiarum circa diſtinctionem* XLIIII. Initium: *Sciendum quod in fine temporum omnipotens dominus reſuſcitabit corpora noſtra* &c. De Reſurrectione itaque et futura tum Corporum ſive beatorum ſive damnatorum conditione in hac Epitome agitur.

XIV. *fol.* 291. p. 2. *Incipit tractatus Beati Johannis Criſoſtomi de hoc quod nemo leditur niſi a ſemet ipſo.* Initium: *Scio quod craſſioribus quibusque et preſentis uite illecebris inhybantibus atque bijs qui per omnia terre inherent* &c. Et finis: *Nequaquam poterunt ei nocere qui a ſemet ipſo non leditur.* Invenio Verſionem hanc, quam *Fabricius* in *Bibl. gr. Incerti* vocat, editam *Antverpiae* 1536. 8. et quod mirum retentam in *Opp. Chryſoſt.* edit. lat. *Lugd. et Pariſ.* 1687. T. V. p. 300. licet *Fronto Ducaeus* jam 1621. T. IV. p. 569. meliorem Anonymi e S. J. ſubſtituerit, quam etiam *Montefalconius* in edit. ſuae T. III. *col.* 444. repraeſentavit. Liceat hic obiter Lectori παραγραμμα indicare, quod, dum in autorem Verſionis noſtrae inquiro, Liber *Dan. Huetii de clar. Interpretib.* edit. *Pariſ.* 1661. 4. p. 173. obtulit. Dicitur ibi *Rodolphus Agricola* (mort. 1485.) ex optima *Theodori Bezae* (nat. 1519.) diſciplina exortus.

XV. *fol.* 301. *Sequitur queſtio determinans veritatem materie tractatus immediate precedentis Beati Johannis Criſoſtomi.* Initium: *Aſtrinxit dominacionis ueſtre pater venerabilis inſtans poſtulacio impericiam meam* &c. Rogaverat *Nicolaum*, ut videtur, *de Dünkelſpühl* quidam, ut velit praedictum Libellum *verbis adaptare uſitaciorib us modoque ſcolaſtico.* Id quod hac *Queſtione* praeſtatur, quae vices *Commentarii* in Libellum ſuſtinere poſſit.

XVI. *fol.* 303. *Incipit tractatus de formatione hominis.* Non facile quis hic *Thomam de Kempis* expectet. Verum ſequitur: *Et primo de Imitatione chriſti et contemptu omnium Vanitatum mundi.* Eſt ſolus *Liber Primus*, quem praecedens *Capitum XXV. Index* exacte cum primoribus *Belgarum* editionibus concordat. Neque textus niſi in minutiis abludit; ita C. I. pro: *ſpiritum haberet — inveniret*, legit: *habent — inveniunt.* Pro: *in altum ſtatum*, ſolum *in altum* &c. Cum vero nomen *Autoris*